



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum contrahatur irregularitas ex hoc, quòd aliquis duxit vxorem non  
virginem? 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

¶ 3 Præterea, Contingit quòd aliquis, antequam cognoscat carnaliter illum, cum qua de iure contrahat de facto, non de iure, & eam carnaliter cognoscat, siue prima mortua, siue viuente: talis contrahit cum pluribus, vel de iure vel de facto: & tamen non est irregularis, quia carnem suam non diuisit in plures. Ergo ex prædicto modo bigamiz non contrahitur irregularitas.

*In arg. 1*

RESPONDEO dicendum, quòd in duobus secundis modis bigamiz contrahitur irregularitas: quia, quamuis in altero non sit sacramentum, est tamen quædam sacramenti similitudo. Vnde isti duo modi sunt secundarij, & primus est principalis in irregularitate causanda.

Ad primum ergo dicendum, quòd quamuis ibi non sit sacramentum, est tamen ibi aliqua similitudo sacramenti, quæ non est in fornicario vel in adulterino concubitu: & ideò non est simile.

Et per hoc patet solutio Ad secundum.

Ad tertium dicendum, quòd in tali casu non reputatur bigamus: quia primum matrimonium non habuit perfectam significationem suam. Tamen si per iudicium Ecclesiz compellatur ad primam redire, & eam cognoscere, statim efficitur irregularis: quia irregularitatem non facit peccatum, sed imperfectio significationis.

ARTIC. III.

*Utrum contrahatur irregularitas ex hoc, quòd aliquis ducit uxorem non virginem?*

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd non contrahatur irregularitas ex hoc, quòd aliquis ducit uxorem non virginem. Quia plus impeditur aliquis defectu proprio, quàm alieno. Sed si ipse contrahens non sit virgo, non efficitur irregularis. Ergo multo minus si vxor eius virgo non sit.

277  
Cap debi  
tum. ex  
tra de bi  
gam.

¶ 2 Præterea, Poteest esse quòd aliquis deflorauit aliquam, & postea ducat eam in uxorem. Talis autem non videtur fieri irregularis, quia non diuisit car-

Pp 4 neta

nem suam in plures, nec etiam vxor eius; & tamen ducit corruptam in vxorem. Ergo talis modus bigamiæ non causat irregularitatem.

¶ 3 Præterea, Nullus potest contrahere irregularitatem nisi voluntarius. Sed aliquis quandoque ducit vxorem non virginem inuoluntarius, vt quando credit eam virginem esse, & postea inuenit eam corruptam fuisse, cognoscens eam. Ergo talis modus non semper facit irregularitatem.

¶ 4 Præterea, Corruptio sequens matrimonium est vituperabilior quam præcedens. Sed si vxor postquam est consummatum matrimonium, ab alio cognoscatur, vir non efficitur irregularis: aliàs puniretur pro peccato vxoris. & potest etiam esse quod postquam hoc sciat, reddat ei debitum poscenti, antequam de adulterio accusata condemnetur. Ergo videtur, quòd ille modus bigamiæ non causet irregularitatem.

*in regist.  
lib. 2. ca.  
35. in me  
20. et re  
fertur d.  
34. cap.  
Præcipi-  
mus.*

SED contra est, quòd Greg. \* dicit, Præcipimus ne vniquam illicitas ordinationes facias, ne bigamus, aut qui virginem non est fornicatus in vxorē, aut ignorantem litteras, aut habentem quamlibet partem corporis vitiatam, vel poenitentiam vel curiam, aut cuiuslibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines peruenire accedat.

RESPONDEO dicendum, quòd in coniunctione Christi & Ecclesiæ vnitas ex vtraque parte inuenitur. Et idèd siue diuisio carnis inueniatur ex parte viri siue ex parte vxoris, est defectus sacramenti. Sed inuenitur diuersimode: quia ex parte viri requiritur, quòd aliam non duxerit in vxorem, non quòd sit virgo. Cuius ratio a Decretistis assignatur: quia sponsus significat Ecclesiam militantem, cuius curam gerit Episcopus in qua sunt multæ corruptiones; sed sponsa significat Christum, qui virgo fuit: & idèd ex parte sponsæ requiritur virginitas, sed non ex parte sponsi, ad hoc quòd aliquis Episcopus fieri possit. Sed hæc ratio est expresse contra Apostolum ad Ephes. 5. Viri diligite

vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Ex quo apparet: quod vxor significat Ecclesiam, & sponsus Christus; & iterum, Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie. Et ideo alij dicunt, quod per sponsum significatur Christus; per sponsam, Ecclesia triumphans, in qua non est aliqua macula. Christus autem habuit primo synagogam quasi concubinam: & sic non tollitur aliquid de perfectione significationis sacramenti, si prius habuit sponsus concubinam. Sed hoc est valde absurdum: quia sicut est vna fides antiquorum & modernorum, ita vna Ecclesia. Vnde illi qui tempore synagogæ Deo seruebant, ad unitatem Ecclesie in qua Deo seruiamus, pertinebant. Et præterea, hoc est expresse contra illud quod habetur Hierem. 3. Ezech. 16. & Osee 2. ubi expresse fit mentio de desponsatione synagogæ: vnde non fuit sicut concubina, sed sicut vxor. Et præterea secundum hoc fornicatio esset sacramentum illius coniunctionis; quod est absurdum: & ideo Gentilitas priusquam desponsaretur à Christo in fide Ecclesie, corrupta fuit à diabolo per idololatriam. Et ideo aliter dicendum, quod defectus in ipso sacramento causat irregularitatem. Corruptio autem carnis extra matrimonium contingens, quæ præcessit matrimonium, nullam defectum facit in sacramento ex parte illius, in quo est corruptio. Sed facit defectum ex parte alterius: quia actus contrahentis matrimonium non cadit supra seipsum, sed supra alterum: & ideo ex termino specificatur, qui etiam est respectu illius, quasi materia sacramenti. Vnde si mulier esset ordinis susceptiua, sicut efficitur vir irregularis ex hoc quod ducit vxorem corruptam, non autem ex hoc, quod corruptus contrahit: ita fieret mulier irregularis, si contraheret cum corrupto, non autem si contraheret corrupta, nisi in alio matrimonio prius corrupta fuisset.

Et per hoc patet solutio Ad primum.

Ad secundum dicendum, quod in tali casu sunt diuer-

diuersæ opiniones: tamen probabilius est, quòd non sit irregularis: quia carnē suam non diuisit in plures.

Ad tertium dicendum, quòd irregularitas non est pœna inflicta, sed defectus quidam sacramenti: & idèd non oportet, quòd semper sit voluntaria bigamia ad hoc, quòd irregularitatem causet: & idèd ille qui vxorem ducit corruptam, quam virginem credit, irregularis est, eam cognoscens.

Ad quartum dicendum, quòd si mulier fornicetur post matrimonium contractum, non efficitur ex hoc vir irregularis, nisi post corruptionem\* adulterij eam iterato cognoscat: quia alias corruptio vxoris nullo modo cadit sub actu matrimoniali viri. Sed si etiam per ius compellatur ei reddere debitum, vel etiam ex conscientia propria, illa petente, debitum reddat ante condemnationem adulterij, irregularis efficitur: quamuis de hoc sint opiniones. Sed hoc quòd dictum est\*, est probabilius, quia hic non requiritur quòd † sit peccatum, sed significatio tantum\*.

## ARTIC. IV.

*Utrum bigamia soluatur per baptismum?*

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd bigamia per baptismum soluatur. Dicit enim Hieron.\* in epist. ad Titum, quod si quis ante baptismum plures vxores habuit, vel vnā ante & aliam post, non est bigamus. Ergo bigamia per baptismum soluitur.

¶ 2 Præterea, Qui facit quod maius est, facit quod minus est. Sed baptismus tollit omne peccatum, quod est grauius quam irregularitas. Ergo tollit bigamiæ irregularitatem.

¶ 3 Præterea, Baptismus tollit omnem pœnam ex actu prouenientem. Sed irregularitas bigamiæ est huiusmodi. Ergo, &c.

¶ 4 Præterea, Bigamus est irregularis, in quantum deficit à representatione Christi. Sed per baptismum plene Christo\* conformamur. Ergo soluitur illa irregularitas.

¶ 5 Præ-

*Al. Adulterinam.*

*Hoc eadē loco.*

*† Al. qd*

*\* ar. 2 hu*

*ius q. ad*

*3.*

*278*

*\* c. 1. super illud:*

*vnus vxo*

*ris viri,*

*10.9. Vnde etiam*

*in epi. ad Oceanum*

*patru ante*

*te med. 10.3. & in*

*decr. 26. & causa*

*3. q. 1.*

*Al. conformatur.*

*\* l. 4 sent.*

*d. 1. §. B.*